



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Prophetia Apocalyptic S. Joannis Apostoli**

**Kircher, Heinrich**

**Coloniæ Agrippinæ, 1676**

Verba Apocalypseos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39100**

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 14. Versu 1. & seqq.) Et vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. (v. 2.) Et audivi vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitri magni: & vocem, quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis. (v. 3.) Et cantabant quasi cantum novum, ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores, & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor milia, qui empti sunt de terra. (v. 4.) Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitæ Deo, & Agno: (v. 5.) Et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei. (v. 6.) Et vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Evangelium aeternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum & linguam & populum. (v. 7.) Dicens magna voce: timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora Iudicii ejus: & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare, & fontes aquarum. (v. 8.) Et alius Angelus secutus est dicens. Cecidit, cecidit Babylon illa magna: qua à vino iræ fornicationis sua potavit omnes gentes. (v. 9.) Et tertius Angelus secutus est illos, dicens Voce magna: Si quis adoraverit bestiam & imaginem ejus & accepérit characterem in fronte sua aut in manus sua. (v. 10.) Et hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciatur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum agni. (v. 11.) Et fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum: Nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam & imaginem ejus, & si quis acceperit characterem nominis ejus. (v. 12.) Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu. (v. 13.) Et audivi vocem de cælo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. (v. 14.) Et vidi, & ecce nubem candidam: & super nubem sedentem, similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manus sua falcem

falcem acutam. (v. 15.) Et alius Angelus exivit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terrae. (v. 16.) Et misit, qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, & demessa est terra. (v. 17.) Et alius Angelus exivit de templo, quod est in celo, habens & ipse falcem acutam. (v. 18.) Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem: & clamavit voce magna adeum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & Vindemia botros vinea terrae: quoniam maturae sunt uvae ejus. (v. 19.) Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiat vineam terrae, & misit in lacum irae Dei magnum: (v. 20.) & calcatus est lacus extra civitatem, & exiit sanguis de lacu usque ad frænos equorum per stadia, mille sexcenta.

## §. I.

## De aureola Virginum.

**A**bsolvet S. Joannes in hoc Capite 14. secundam hujus alterius Partis Apocalypticæ Visionem: cuius & præcedentis hic erit ordo & connexio. Primo de Muliere & Dracone, de commissione contra illam prælio, viæ tricibus primitiis Martyrum, de Mulieris exaltatione post raptas easdem primitias: & de flumine quod ex ore Draconis egestum absorbit terra. Secundo de eo quod Dracon innovaturus prælium cum reliquo semine Mulieris designaverit apud se Bestiam priorem, quæ de mari: & posteriorem aliam Bestiam quæ de terra sit ascensura: quibus duabus Bestiis S. Joannes totum perstrinxit co natum Draconis reliquum usque ad tempus Judicij extremi. In quo antequam finem imponat his duabus Visionibus,

Conne-  
xio Visi-  
onum 2.  
præce-  
dentiū.

Pars II.

describitur Triumphus Sanctorum post persecutionem: quorum prima & illustris portio Virgines.

2. Neque enim deerit in omnibus Trium his persecutionibus Ecclesiæ numerus plus Virginum in primis. Hic est Chorus genitum: eorum quibuscum stat AGNUS omnium conjunctissimis SUPRA MONTEM SION, in Beatitudine: quorum IN FRONTIBUS NOMEN EJUS ET PATRIS EJUS. VOX eorum DE COELO TANQUAM AQUARUM MULTRUM, id est ex populis multis selectorum: & vox TANQUAM TONITRUI MAGNI perfringentis nubem ignitam, somitem concupiscentiae carnalis: & concentus SICUT CITHAROEDORUM, quorum cithara tota compages corporis illibati

G edit